

Christian Ohm Joachim Cunradi

## **Disputatio Iuridica De Pactis**

Rostochi[i]: Pedanus, 1622

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730897842>**

Druck Freier  Zugang



Chr. Ohm (J. Cunradi) <sup>Zeit.</sup>

R. U. in 1622. 1a



Disputatio Juridica  
DE  
PACTIS.

*Quam*

D. O. M. A.

*Consensu & autoritate Amplissimi Jctorum  
ordinis in celeberrima Rostochiensis  
Academia*

P R Æ S I D E


*Viro Clarissimo & Consultissimo*

DN. CHRISTIANO D H M  
J. U. D.

*Publice defendet*

JOACHIMUS CUNRADI  
Hamburgensis.

*In auditorio majori ad diem Mart.*




R O S T O C H I

Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ.  
Anno M. DC. XXII.

1622

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock



Disputatio  
DE PACTIS.

THESIS I.

**P**Dicti Prætorij de Pactis æquitas naturalis est. Quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare. *l. 1. in pr. ff. h. t.*

II.

Pactum, de pectio, pactio, placitum, pactum conventum, pactum & conventum, pactum nudum, pactum & consensus, pactum & condictum, omnia hæc idem in jure possunt. *Cujac. in l. 1. ff. h. t.*

III.

Pactum, ut Ulpianis definit, est duorum pluriumve in idem placitum consensus. *l. 1. §. & est 2. ff. h. t.*

IV.

Pactum aut ex causa publica fit, quoties inter se Duces belli quædam paciscuntur. Aut ex privata, quod de rebus privatorum inicitur. *l. conventionum 5. ff. h. t.*

V.

Privatum pactum aut legitimum, aut jurisgentium. Illud lege aliqua confirmatur, & ideo interdum ex pacto actio nascitur, vel tollitur, quoties lege, vel SCto, vel constitutionibus, vel jure Prætorio adjuvatur. Hoc solo Gentium jure sustinetur. *l. conventionum 5. & l. seq. ff. h. t.*

VI.

Pacti legitimi quod lege confirmatur exempla suppeditat

ditat lex XII. tabul. in pacto quod fit de injuria & furto. Pacti quod SCto adjuvatur in tanta SCtorum antiquorum vailitate idoneum exemplum non profertur. *l. si tibi 17. §. quadam. l. Cujac. in l. legitima 6. ff. h. t.*

#### VII.

Constitutionibus confirmatur pactio, quæ fit de dote & donatione. *tot. tit. C. de dot. promiss. l. si quis argentum §. ult. C. de donat.*

#### VIII.

Jure Prætorio adjuvatur pactum pignoris, & proprie hypotheca dicitur, & pactum constitutum, quod Græci antiphonam vocant. *l. 1. de pig. act. l. 1. de constit. pecun.*

#### IX.

Hæc pacta legitima quidam nuda non esse arbitrantur, quod subruitur argumento pollicitationis nudæ de dote, quæ licet constitutionibus confirmetur, nudæ appellationem non amittit. *Cujac. in l. legitima 6. in fin. ff. h. t.*

#### X.

Dividitur etiam Pactum in expressum & tacitum. Illud vel coram re, hoc est, sermone vel tractatu habito, vel inter absentes per epistolam, sive per nuntium fit. Hoc nullo tractatu habito. *l. Labeo 2. ubi Cujac. ff. h. t.*

#### XI.

Et ideo si debitori meo reddiderim cautionem, videtur inter nos convenisse ne peterem, profuturamq; ei conventionis exceptionem placuit. *d. l. Labeo 2. §. & ideo ff. h. t.*

#### XII.

Pignore vero reddito debitori, debitum peti posse dubium non est, nisi specialiter contrarium actum esse probetur. *l. postquam 3. ff. h. t.*

Item

## XIII.

Item placet in urbanis habitationibus locandis investra illata pignori esse locatori. In prædijs vero rusticis fructus, qui ibi nascuntur, tacite intelliguntur pignori esse domino fundi locati, etiamsi nihil nominatum convenierit. *l. item placet 4. in pr. ff. h. t. l. in prædijs 7. ff. in quib. causis pig. tac. contrab.*

## XIV.

Pactorum porro quædam in rem sunt, quædam in personam. In rem sunt, quoties generaliter paciscor ne petam. In personam, quones ne à persona, veluti Lucio Titio petam. *l. juris gentium 7. §. pactorum 8. ff. h. t.*

## XV.

Utrum autem in rem, an in personam pactum factum est, non minus ex verbis, quam ex mente conventionum æstimandum est, plerumq; enim (ut & Pedius ait) persona pacto inseritur, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstraretur, cum quo pactum factum est. *d. l. juris gent. 7. §. pactorum 8. ff. h. t.*

## XVI.

Cum pacta consensu fiant, generaliter definiendum est, hos pacisci posse, qui contentire possunt, & contra, eos qui consentire non possunt, ut infantes, prodigi, furiosi, pacisci quoq; non posse. *l. 1. ff. h. t. §. pupillum 9. cum seq. Inst. de inutil. stipul.*

## XVII.

Hi tamen qui voluntatem & intellectum habent, non semper recte paciscuntur, ut si pupillus sine tutoris autoritate pactus sit, ne à debitore suo peteret, aut ne intra certum tempus, veluti quinquennium, peteret, pactum conventum contra juris civilis regulas ratum non habe-

etur. Ex diverso si pupillus paciscatur, ne, quod debeat, à se petatur, ratum habetur pactum conventum, quia meliorem conditionem suam facere ei etiam sine tutoris autoritate concessum est. *l. contra juris 28. in pr. ff. h. t.*

### XVIII.

Sic filius familias recte paciscitur ne à se petatur, eaque pactio non tantum ipsi prodest, verum etiam patri, & heredi patris vivo filio: post mortem vero filij nec patri nec heredi proderit, quia personale pactum est. *l. acquirent 19. §. item 1. l. & hered. 21. in pr. ff. h. t.*

### XIX.

Si filius aut servus pactus sit, ne ipse peteret, inutile est pactum. Si vero in rem pacti sunt ne ea pecunia peteretur, ita pactio eorum rata habenda erit adversus patrem dominumve, si liberam peculij administrationem habeant, & de re peculiari non donandi causa pacti sunt. *l. contra. 28. §. si filius 2. ff. h. t.*

### XX.

Unusquisq; sibi pacisci debet non alteri. Per alterum extraneus intelligitur, cujus juri & potestati quis subjectus non est. *l. si tibi 17. §. si pactus 4. ff. h. t. l. 3. C. de inutil. stip.*

### XXI.

Hinc filius servusve si paciscantur ne à patre dominove petatur, sive de eo paciscantur, quod cum ipsis, sive de eo, quod cum patre dominove contractum est, acquirent exceptionem. *d. l. si tibi 17. §. fin. cum duabus ll. seqq. ff. h. t.*

### XXII.

Quod si servus ne à se peteretur pactus fuerit, nihil valebit pactum. De doli exceptione videamus. Et si in  
rem

rem paciscatur, proderit domino & heredi ejus pacti con-  
venti exceptio. Quod si in personam pactum conce-  
ptum est, tum domino doli superest exceptio. *l. & heredi*  
*21. §. quod si 1. ff. h. t.*

### XXIII.

Nos autem his, qui in potestate nostra sunt, paciscen-  
do prodesse non possumus, sed nobis id profuturum, si  
nomine eorum conveniamur, Proculus ait. *l. & hered. 21.*  
*§. nos autem 2. ff. h. t.*

### XXIV.

Julianus scribit, si pater pactus sit, ne à se, neve à filio  
petatur, magis esse, ut pacti exceptio filiofamilias danda  
non sit, sed doli proficit. *d. l. & heredi 21. §. nos autem 2. vers.*  
*Julianus. ff. h. t.*

### XXV.

Si procurator negotiorum paciscatur, exceptio doli  
mihi proderit, ut Trebatio videtur, qui putat sicut pactam  
procuratoris mihi nocet, ita & prodesse. *l. Rescriptum 10. §.*  
*plerumq. 2. ff. h. t.*

### XXVI.

Debitoris conventio ne à fidejussore petatur, fidejuf-  
sori proficit. Fidejussori vero ne à Reo, vel confidejusso-  
re petatur, ipsis ad exceptionem doli proderit. *l. &*  
*hered. 21. §. fin. cum ll. seqq. l. idem 25. §. sed quamvis 2. cum*  
*l. seq. ff. h. t.*

### XXVII.

De rebus familiaribus sive privatis pacisci licet, velu-  
ti ne pro judicati, vel incensarum ædium, vel de furto, vel  
depositi agam, ne novi operis nuntiationem ex re fami-  
liari factam exequar. *l. jurisgentium 7. §. si paciscar 13. cum*  
*seq. ff. h. t.*

Jus

## XXVIII.

Ius publicum privatorum pactis mutari non potest. Et generaliter quoties pactum a iure communi remotum est, servari hoc non oportet, nec legari, nec iusjurandum de hoc adactum, ne quis agat, servandum. Marcellus libro secundo Digestor. scribit, & si stipulatio sit interposita, de his, pro quibus pacisci non licet: servanda non est sed omnimodo rescindenda. *l. ius publicum 38. l. iurigenitium 7. §. & generaliter 16. ff. h. t.*

## XXIX.

Pacta, quæ turpem causam continent, non sunt observanda. Ante omnia etiam animadvertendum est, ne conventio in alia re facta, aut cum alia persona, in alia re, aliave persona noceat. *l. si unus 27. §. pacta 4. ff. h. t.*

## XXX.

Pacta & in præsens, aut ad diem, aut ex die, aut sub conditione contrahi possunt. *l. si unus 27. §. 1. l. intra 41. l. epistolam 52. §. fin. ff. h. t.*

## XXXI.

Veteribus, teste Papiniano, placuit, Pactionem obscuram vel ambiguum ijs nocere, in quorum fuit potestate legem apertius conscribere. *l. veteribus 39. ff. h. t.*

## XXXII.

Tale pactum, profiteor, non teneri, non in personam dirigitur, sed cum generale sit, locum inter heredes quoq; luigantes habebit. *l. tale pact. 40. in pr. ff. h. t.*

## XXXIII.

Pacta producant naturalem obligationem, eamq; ipso iure tollunt, civilem vero obligationem & ex ea actionem non pariunt, nisi ad excipiendum sint efficacia iure Prætorio. *l. in his 5. §. Imperator. 2. l. stichum 95. §. naturalis 4. ff. de solut. l. iurigenit. 7. §. sed cum 4. ff. h. t.*

Pacta

#### XXXIV.

Pacta in continenti contractibus bonæ fidei adjecta contractus & actionis naturam pro qualitate sua mutant, augent, minuunt, contractum & actionem formant, transformant, reformant, & insunt contractui tam ex parte actoris, quam rei. *l. jurisgentium. 2. §. quinimo 5. ff. h. t.*

#### XXXV.

Pacta ex intervallo adjecta bonæ fidei, contractum vel actionem non formant, sed ex parte Rei locum habent, quia solent & ea pacta, quæ postea interponuntur, parere exceptiones. *d. l. jurisgent. 7. §. quinimo 5. vers. ex intervallo, ff. h. t.*

#### XXXVII.

Nonnunquam tamen; quæ ex intervallo fiunt, insunt & actionem formant, si re integra de eo convenit, quod substantiam contractus attingat. *d. l. jurisgentium. §. adeo. 6. ff. h. t.*

#### XXXVII.

Pacta stricti juris contractibus apposita ex parte Rei non etiam ex parte actoris insunt. *d. l. jurisgentium. 7. §. quinimo. 5. ff. h. t.*

#### XXXVIII.

Pactus, ne peteret, postea convenit, ut peteret, prius pactum per posterius eliditur, non quidem ipso jure, & ideo replicatione exceptio eliditur. *l. si unus 27. §. pactus. 2. ff. h. t.*

#### XXXIX.

Sed si pactum conventum tale fuit, quod actionem quoq; tolleret, veluti injuriarum, non poterit postea paciscendo, ut agere possit, agere, quia & prima actio sublata est, & posterius pactum ad actionem parandam inefficax est, non enim ex pacto injuriarum actio nascitur, sed

B

sed ex contumelia. d. l. si unus 27. §. pactus. 2. vers. sed ff. h. t.

XL.


Idem dicemus & in bonæ fidei contractibus, si pactum conventum totam obligationem sustulerit, veluti emti, non enim ex nudo pacto prior obligatio resuscitatur, sed proficit pactum ad novum contractum. d. l. si unus §. pactus 2. vers. idem ff. h. t.

XLI.

Quod si non ut totum contractum tolleretur pactum conventum intercessit, sed ut imminueret, posterius pactum potest renovare primum contractum. d. l. si unus §. pactus 2. vers. quod si ff. h. t.

## Corollaria.

1. An fidem frangenti fides sit servanda? D.
2. An princeps contractus cum subdito vel alio inuito servare debeat? A.
3. An princeps impunitatem uni, ut alios detegat promittens, eam servare debeat? A.
4. An fides data hæreticis, hostibus, & prædonibus servanda? A.
5. An pactum de quota litis inter Advocatum & clientem valeat? N.
6. An libri studiosorum propensione hypothecari possint? A.



POESTER  
Ad praestantissimum & Eruditissimum

Dn. RESPONDENTEM.

**S**i, quibus esse fides pactis debebat, inesset,  
Vix opera merces nunc foret ulla tua.  
Musarum cultor juvenis Charitumq; modestus  
Quarum latatur foedere culta Themis.  
At quia calliditas rerumq; hominumq; potitur,  
Eas verumq; alio forsitan orbe latet,  
Versantur dubijs agitata negotia dictis,  
Et mores violant impia pacta bonos:  
Praemia huic venient quondam non parva laboris  
Si tamen & pacto manseris ipse tuo.

JOANNES HUSVVEDELIUS

Phil. Mor. Prof. P.

**E**rgo tibi mens est nos linquere, causaq; parvas  
Non suadere potest illa vel illa moras?  
Tu qui solus eras nostri pars maxima cordis,  
Nam nos cognato sanguine junxit amor.  
Sed tua te virtus, rectumq; , & gloria laudis,  
Carpere vult caeptam non sine teste viam.  
Protrahit ipsa Themis, tua te facundia Siren.  
Protrahit, & nullo vult latuisse loco.  
Jam specimen specitur, verbis expendere pacta,  
Et nodos facili dissoluisse manu.  
Pro quibus officijs, ut munere munera penset,  
Contexet capiti quæ Dea ferta tuo?  
Non tua Pierides velabunt tempora Musæ?  
Non. Themis ipsa tibi laurea ferta dabit.

Cognato & amico suo dilectissimo

L. M. Q. facieb.


ALBERTUS VON DER WEGH Hamb.



**E**ST tibi non parvum, minus aut **CONRADE** subactum  
 Ingenium, tum si non popularis eram.  
 Seu linguam linguis acuis, seu civica jura  
 Respondere paras, premia prima refers.  
 Non nego: si quis is est, sit magno iudice **STURZIO**  
 Cui tu legato jure legendus eras.  
 Si quis amat testes, **OMIO** do **Præside PACTA**.  
 Rem dabis autorem, livor adesse volet,  
 Qui pactum pactum, rata ne sint irrita monstras,  
 Nec noctis ferias excipis arte datas.  
 Debes? armillas non arma prehensa ministras,  
 Nec juras reditum non rediturus abis.  
 Hoc melli, felli est, quod jam discedere gestis:  
 Quid faciam? voto prosequar usq; meo:  
 Consilij animi-mentem felicibus aquet,  
 Surgere, qui faciet, te, **JOACHIME** Deus.


Daniel. VVestermannus

Hamb.




**A**udivere tuum Themis alma, novemq; Sorores  
 Discessum, & certæ jam data signa viæ:  
 Indolere omnes; mox omina faulta dederunt,  
 Et tibi felices ter crepuere sonos.  
 I virtutis iter, teq; hinc melioribus offer,  
 Nam Themis ipsa tibi Pieridesq; favent.  
 Hoc **CONRADE** tibi confeci carmine munus,  
 Ut nostra æternum vivat amicitia.

**HARDERUS VAKIUS** Flensb.









*Antiquissimum & Eruditissimum*


*Antiquissimum & Eruditissimum*

**R. RESPONDENTEM.**

*fides pactis debebat, inesse,  
re merces nunc foret ulla tua.  
or juvenis Charitumq; modestus  
latatur fœdere culta Themis.  
is rerumq; hominumq; potitur,  
q; alio forstan orbe latet,  
s agitata negotia dictis,  
violant impia pacta bonos:  
nient quondam non parva laboris  
& pacto manseris ipse tuo.*

**JOANNES HUSVEDELIUS**

Phil. Mor. Prof. P.



*ns est nos relinquere, causaq; parvas  
dere potest illa vel illa moras?  
nostri pars maxima cordis,  
s cognato sanguine junxit amor.  
rectumq; , & gloria laudis,  
vult captam non sine teste viam.  
emis, tua te facundia Siren  
it, & nullo vult latuisse loco.  
citur, verbis expendere pacta,  
s facili dissoluisse manu.  
is, ut munere munera penset,  
t capiti quæ Dea ferta tuo?  
velabunt tempora Musæ?  
hemis ipsa tibi laurea ferta dabit.*

*Cognato & amico suo dilectissimo*

*L. M. Q. facieb.*

**ALBERTUS VON DER WEGE Hamb.**